

negligentius disputare: ut si, quum compararetur, utrum satius sit populum frumentum accipere, an non? quae commoda sint in altera re, curet enumerare: quae incommoda sunt, et quae velint depressa praetereat, aut ea, quae minima sunt, dicat.

Item vitiosum est, in rebus comparandis necesse putare alteram rem vituperari, quum alteram laudes: quod genus, si quaeratur, utris major honor habendus sit, Albensibus, an Vestinis Pinnensibus, quod rei publicae populi Romani profuerint, et is, qui dicat ab alteris, alteros laedat. Non enim necesse est, si alteros praeponas, alteros vituperare. Fieri enim potest, ut, quum alteros magis laudaris, aliquam alteris laudis partem attribuas, ne cupidius pugnasse contra veritatem puteris. Item vitiosum est, de nomine et de vocabulo ejus rei controversiam struere, quam rem consuetudo potest optime judicare: velut Sulpicius, qui intercesserat, ne exules, quibus causam dicere non licuisset, reducerentur, idem posterius, immutata voluntate, quum eandem legem ferret, aliam sese ferre dicebat, propter nominum commutationem: nam non *exules*, sed *vi ejectos* se reducere aiebat; perinde quasi id fuisset in controversia, quo illi nomine appellarentur a populo Romano, aut quasi non omnes, quibus aqua et igni interdictum est, exules appellentur. Verum illi fortasse ignoscimus, si cum causa fecit; nos tamen intelligamus, vitiosum esse intendere controversiam propter nominum mutationem.

Cap. XXIX. Quoniam *exornatio* constat ex similibus, et exemplis, et judicatis, et ceteris rebus, quae pertinent ad exaggerandam et collocupletandam argumentationem, quae sint iis rebus vitia, consideremus.

*Simile* vitiosum est, quod ex aliqua parte dissimile est, nec habet parem rationem comparationis, aut ipsi obest, qui affert.